



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XXIV. De Adventu Casimiri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

ANIMADVERSIONES.

- (a) Wilhelm von Cronsfeld Provisor (Pfleger) Lyccensis ipsum cepisse dicitur, proditione cujusdam Lithvani, ut refert Simon Grunovius *Tract. 13. cap. 3.* Schuzius Henricum, Provisorem Ekkersbergensem fuisse dicit *lib. 2. Chron. Pruss. fol. 75.* Reféruntque illi Kieystutum non in venatione eo anno, sed in prælio in fugam conjectis Lithvanis fuisse captum. Conciliationem horum suppeditat nobis Albertus Wijuk Kojalovicz qui bis Kieystutum in potestatem Cruciferorum venisse refert, in ultima verò hac expeditione, de qua Dusburgii Continuator agit, ab Henrico Hekerbeogo Equite, Ductore exercitus Germanici Henrico Crumfelt, captum esse Kinstutum dicit. *Part. I. Hist. Litvan. lib. 8. pag. 324. seq.*
- (b) Ministrabat tum ipsi Lithvanus quidam, qui sacris Christianis initiatum ibidem liberè agebat, Equitibusque Ordinis Teutonici fidelissimus erat. Nomen ejus Alff vel Aloff fuisse scribit Schuzius *loco citato.* Simon Grunovius verò nomen ejus fuisse dicit Michael von Lauff.
- (c) Sex hebdomadas in captivitate exegerat, ut auctor est Grunovius.

CAP. XXIV.

De

Adventu Casimiri.

Anno Dn. MCCCLXV. | *An. Dn. MCCCLXVII. Civitates maritima*
 Rex Poloniæ (a) Ca- | *exercitu potentissimo Regnum Dacia intra-*
 simirus venit in Maria- | *verunt propter multa intolerabilia damna*
 burg, & habuit consilia | *eis per Regem illata, villas & oppida deva-*
 cum Magistro generali | *stantes & Regem à Regno expulerunt.*
 Winrico, quem Magister honorificè pertractavit.

ANIMADVERSIO.

- (a) Casimirus cum pacato Comitatu Prussiam ingressus est, videndi Mariæburgi aliarumque arcium & oppidorum gratia, quæ Cruciferi frequentia, permunita & benè constituta habuere, ut ad eorum exemplum Poloniam etiam cultiorem redderet. Ubi perhumanè
 H h h atque

atque honorificè à Cruciferis, quocunq; adiit, acceptus est. *Vid.*
Salomon Neugebauer. *lib. 3. Hist. Polon. pag. 209.*

CAP. XXV.

De

Bello circa Rudaw.

Anno Domini MCCCLXX. Dominica Exurge (a) Algard & Kynstod Principes Lithuania cum exercitu potenti terram hanc obruebant. Et commissum est inter illos praelium magnum valde circa (b) fluvium Rudav, & datus est à Domino Deo triumphus Dominis hujus terræ & Christicolis. Sed Marschalcus Ordinis vir intrepidus ibidem est interfectus. Prædicto bello interfuerunt, Jageli, qui præterea dictus est (c) Wladislaus Rex Poloniae tunc 22. annorum: Wytovvdus tunc (d) 20. annorum, qui cum Principibus suis supra dictis fugam dederunt, unde versus:

Exurgunt Reges Algard, Kynstod, duo Fratres,
Cumque subintrarent Sambenses & spoliarent
Mox juncti pariter Winricus nempe Magister
(e) Schindkop Marschalcus, Præceptores simul ejus
Nos debellarunt captis multisque necarunt,
Ex his (f) undena perversus millia plena
Sed, proh! Marschalcus, tunc corruit ut Leo vivus.

Alia metra.

Annus M. tria C. conjuncti septuaginta
Exurge quare, prope Rudam bella notare
Schindkop Marschalcus tunc corruit intemoratus
Cum famulis (g) multis duo C. periereque fratres
Certus Lithvanis, sed abest numerusque Ruthenis
Sed qui fugerunt gelu fame perierunt.
Gloria sit Patri & Proli cum Pneumate soli.

ANI